

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nuclei evangelici pars festivalis

Trautmann, Samuel

Wittebergae, 1664

Oraculum sacrum XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-160375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160375)

Ex Matth. XI. 27.

*A Patre cœlesti sunt Christo tradita cuncta,
Hinc homo divinam Christus habet divitiarum.*

ORACULUM SACRUM. XIX.

Matth. XXIIII. 18.

TEXTUS GRÆCUS SACER.

Καὶ προσελθὼν ὁ ἰησοῦς ἐλάλησε τοῖς μαθηταῖς λέγων· ἐδόθη μοι πάντα ἐξουσία ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.

Versio vulgata.

Et accedens IESUS loquutus est discipulis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Versio B. LUTHERI.

Und IESUS trat zu seinen Jüngern und sprach: Mir ist gegeben alle Gewalt im Himmel und auff Erden.

N O T Æ.

1. Per vocabulum ἐξουσία h. l. non intelligitur autoritas quædam absq; potentia, sed ipsa divina & infinita ἐξουσία. Quod patet ex προσδιορισμῷ additione.

Dicitur enim πάντα ἐξουσία. Si autem li-

nitata esset, non esset OMNIS. Omni enim affirmationi negatio, omniq; negationi contraria affirmatio est, ut docet Philosophus lib.

πρῶτης τῆς ἐρημνείας cap. 6. Deinde dicitur πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῶ καὶ ἐπὶ γῆς, quæ potestas omnino est infinita. Vide loca ἑξῆς ἀλλῆλα 1. Paral. XXIX. II. Psal. CII. 19. CXXXV. 6. Apoc. V. 2

2. *Ex Christi intentione.* Christus mox resurrecturus erat mundum, quoad visibilem & localem presentiam: ideo duo momenta consolationis discipulis relinquit, quibus sese in omnibus adversitatibus possent erigere, nimirum *omnipotentiam*, quâ ipsos adversus portas inferorum posset defendere, & *gratiosam presentiam*, secundum quam velit cum ipsis esse usq; ad consummationem seculi v. 20.

3. *Ex vocabulorum ὀνομασίας ἢ ἐξουσίας conjunctione.* Coniunguntur hæc vocabula Luc. V. 36 c. IX. 1. Confer. Apoc. V. 12. & hinc ita collige:

Quæcumq; unum numero sunt realiter distingui non debent nec possunt. Μάλιστα δὲ ὁμολογουμένως τὸ ἐν ἀεὶ θεῶν, ταυτὸ ὡς θεοὶ καὶ δοκεῖ λέγεσθαι Arist. d. Methaphysic. c. 6.

4. *Ex Apostolica explicatione.* D. Paulus omnem potestatem, quæ Christo tradita à Patre, extollit ἐπερὶ πάντων ἐξουσίας καὶ δυνάμεις, super

super omnem potestatem & potentiam, quam homines possunt capere Ephes. I. 21.

5. *Ex Christi ad dextram Patris sessione:* Nam Christus sedet à dextris *δυναμως* virtutis DEI Patris Matth. XXVI. 64. Luc. XXII. 69.

6. *Ex hujus ἐξουσίας χειρῶν seu usurpatione.* Christus enim hanc *ἐξουσίαν* ita exeruit, ut sanaret omnes oppresos à Diabolo Act. X. 38. quod non est nisi infinitæ virtutis & potentie.

7. *Ex ipsius Christi attestazione.* Nam ipse Christus testatur *δύναμει ἐξ ἐαυτῆ* prodisse Marc. V. 30. Certum autem est, heic de virtute divina & miraculorum effectrice loqui Dominum.

8. Deniq; hoc patescit ex *vocabulo ἐξουσίας* in tribus lingvis *fontalibus nativæ significatione.* Dan. VII. 14. hæc potestas dicitur *שׁוּטָא אֲשֶׁר בְּיַדְךָ* quæ vox etiam de nudo homine usurpata, nunquam notat potestatem sine efficaci virtute, sed talem dominationem, quâ quis aliquem sibi subjicit, & potestatem habet aliquid statuendi & præcipiendi. Hinc propheta explicat, qualis potestas Christo homini fuerit communicata, nimirum potestas seculi h. e. æterna, quæ non auferetur. LXX. *μὴ παρελεύσῃ* non transibit, non discedet i. e. ex interpretatione N. T. regnabit Salvator *εἰς τὰς αἰώνας* Luc. I. 33.

Quod

Quod sanè de potestate sine efficaci virtute non potest intelligi.

In Græco h. l. hæc potestas à Matthæo appellatur ἐξουσία, quod vocabulum non notat auctoritatem potentiâ vacuum, sed plenariam potestatem, quâ Magistratus utitur, erga subditos; teste Budæo in comment. Græc. Ling. f. 1462.

In Lingva Latina vocabulum *Potestas* majorem & sublimiorem potentiam notat, quàm *Autoritas*, quod patet ex Cicerone, qui in orat. pro M. Pison. de Q. Met. ita inquit: *Id quod nondum potestate poterat auctoritate, obtinuit.* E. vox *ἐξουσίας* non per auctoritatem, sed per potestatem est vertenda, quod notandum contra Be-

ned. Ariam Montanum, nonnullos è Calvinianis, & cum primis Beza, qui Anno 1580. hæc verba Salvatoris: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra, ita vertit vel potius pervertit: Data est mihi omnis auctoritas in celo & in terra.* Eò verò intolerabilior est Bezae prætervia, quòd ipsam hanc *ἐξουσίας* dictionem, quando de Apostolis usurpatur, veluti Matth. Xii. Marc. VI. 7. Luc. X. 19. vertit potestatem, & quidem rectè. Sed quando eadem vox de Christo usurpatur, eam per auctoritatis vocabulum exponit. Ita pervertit Christi verba Matth. IX. 6. Ut autem sciatis, auctoritatem habere filium hominis in

tetra remittendi peccata. Et Joh. V. 27. Autoritatem dedit ei iudicium faciendi, quatenus filius hominis est. Joh. XVII. 2. Dedit ei auctoritatem in omnem carnem. Ita scilicet juxta Beza[m] Apostolis major fuit potestas quam ipsi Christo. Et quid velit hac versione, explicat in colloquio Mompelgart f. 279. & 283. ita scriptitans: *Christo data est potestas diversa prorsus ab ea, quae est in DEo essentialiter.* Ita scilicet Calviniani duas statuunt in Christo omnipotentias, dum *λόγῳ πάντων δυνάμει*, humanae verò Christi naturae *πάντων ἐξουσίας* tribuunt. Sed de voce *ἐξουσίας* quaedam notavi part. 1. in Enueleat. Orac. Joh. V. 27. Dom. XXVII. p. Trinit. p. 462. quò lectorem brevitat[is] studio remitto.

II. His ita stantibus, nunc quaeritur juxta quam naturam haec potestas Christo sit data? Ad hanc quaestionem cum scriptura respondeamus Christo hanc potestatem esse datam secundum humanam naturam, vel Christo homini, sive quae homo, vel humanae naturae, vel carni in personam τῷ λόγῳ assumptae. Hanc nostram sententiam sequenti orthodoxae antiquitatis regulâ firmamus. *Quaecumq[ue] scriptura dicit Christo data esse in tempore, illa non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem as-*
sum-

sumptam ei data intelligitur. Quæ regula' est Athanasii Orat. 2. contra Arianos, neq; unquam in controversiam vocata, nisi ab apertis hæreticis.

Opponitur autem hanc regulam

1. **ARIANIS**, qui veram Christi divinitatem ex his ipsis dictis de datis Christo in tempore, in hunc finem impugnabant, ut filium tanquam accipientem patre veluti dante minorem ostenderent, & sic ejusdem essentia cum patre esse negarent.

2. Opponitur hanc regulam **SOCINIANIS**, Arianorum vitula arantibus. Sic enim Socinus ex h. l. colligebat:

Cuicunq; in tempore omnis potestas in celo & terra data est; ille non est æternus DEus, quia DEo nihil dari potest. Sed responsio ex data regula est facilis. Christus propter divinam naturam æternus DEus esse potest; licet juxta humanam aliquid in tempore acceperit.

3. Hanc regulam opponimus **CALVINIANIS**, existimantibus, Christo secundum Deitatem aliquid dari posse. Sic enim Wendelinus lib. i. Christ. Theol. cap. XVI. scriptitat: *Adversariorum nonnulli nimis crude negant, quicquam Christo secundum Deitatem in tempore datum esse, vel dari potuisse. Ita qui sentiunt eos negare*

negare oportet. Filio DEi in tempore à Patre adaptatum esse corpus. Sed ubi in toto codice sacro dicitur, quod filio Dei data fuerit omnis potestas in cœlo & in terra. De filio hominis lego, quòd antiquus dierum, ei dederit potestatem & honorem & regnum Dan. VII. 14. Deinde hæc phrasis non est scriptura, quod Pater filio in tempore, adaptaverit corpus, fingunt eam Calviniani, ut evincant humanam naturam, nihil cum divina habere commune, sed tantum esse adjunctum personæ scil. divinæ naturæ. Deniq; nulla est sequela: Humana natura unita est λόγῳ in tempore. E. & secundum divinam naturam aliquid Christo est additum. Nam λόγῳ per hanc acceptionem neq; perfectior neq; beator evasit, humana autem natura in statum sublimiorem est translata.

III. In regula modò proposita probè notanda est particulam SECUNDUM, non sumi διασπικῶς, prout est particula disjunctiva, sed ἐνηγγελικῶς vel δευλικῶς prout est particula indicativa, indicans tum objectum, cui omnis potestas in cœlo & terra data, tum fundamentum, cur hoc idiomata humanæ naturæ attribeatur nim. propter unionem personalem,

contra

contra Calvinianos, qui in hoc vocabulo sepè lu-
dunt & errores occultant.

IV. His præsuppositis è loco præsentis & aliis
parallelis tale fuit argumentum:

Cui data est omnis potestas in cælo & in ter-
ra: potestas æterna: potestas omnis creaturæ,
quæ sub terra, super terram, in mari & in cælo est,
cui omnia tradita sunt in manus & subjecta pe-
dibus, nihil excepto, illi communicata est potestas
infinite, increata, divina, & ut uno verbo dicam,
Omnipotencia.

Sed Christo homini data est omnis po-
testas in cælo & in terra h. l. potestas æterna
Dan. VII. 14. potestas omnis creaturæ Joh.
XVII. 2. Apoc. V. 13. quæ sub terra, super ter-
ram, in mari & in cælo est, Phil. II. 10. tradita
sunt ei omnia in manus, Joh. III. 35. & subjecta
pedibus Ps. IXX. 8. nihilo excepto Ebr. II. 8.

E. Christo homini communicata est potestas
infinite, increata, divina, & ut uno verbo dicam
omnipotentia, contra Socinianos, Arminianos,
Jesuitas, & Calvinianos, hypostaticam divine maje-
statis carni assumptæ in persona vti λόγος factam
κωινωσίαν præfractè negantes. Hinc Sociniani
doctrinam de unione personali & reali com-
municatione idiomatum, pro somnio & mera
fabula habent. Vide Catechism. Lacov. p. 4.
Okt.

Ostorod. cap. VI. Instit. p. 40. Smalc. Refut. monstr. & in Exam. CLV. Error. p. 5. Forerus in Bello suo p. 295. & 296. non erubuit adseverare, hanc nostram doctrinam, fidem Christianam innumeris absurdis contaminare. Wendelinus lib. Christi. Theol. cap. XVI. thes. 3. eam adpellat dogma absurdum ad ubi quivatem humane Christi nature stabilivendam (sine qua oralis in caena manducatio Christi non possit defendi) exogitatum. Sed adversarii locum presentem decenter expendant, eidemq; jungant loca parallela superius citata, & absq; adfectum praedominio judicent, & desinent huic nostrae doctrinae hostiliter repugnare. Verum, quia hic locus verè aureus pro stabilivenda communione idiomatum, ideo adversariis sudet in oculis. Quapropter se mirè torquent, ut illum suis strophis eludant. Wendelinus hunc locum de potestate mediatoriæ exponit, & contendit, hanc potestatem naturam habere apotelesmatis, & certò respectu personæ competere secundum utramq; naturam. Sed Wendelinus hac in parte pejor est Socino, qui verba illa de Christo, ut homine, interpretatur, ut videre est in ipsius Disputatione de Servatore Christo. Jacobo Covero opposita, part. 1. p. 40. ubi sic scribit: *Certissimum est Jesum Christum*

ut hominem omnem in celo & terra potestatem habere. Inquit enim ipse, postquam a mortuis resurrexerat: Data est mihi omnis potestas in celo & in terra, Matth. XXVIII. 28. DEo autem nihil dari potest. Præterea officium mediatorium in finitam virtutem, per quam administrari potest, præsupponit, non destruit. Sed quia Wendelinus videt, hanc suam expositionem non esse solidam, ideo se Prothei more verum putens, hunc locum exponit de manifestatione mandata Deitati facta, ob antegressam exinanitionem, & adducit regulam Thummii in Tapeiuhic nosygr. p. 788. Res tunc dicitur fieri, quando agnoscitur & manifestatur. Quam expositionem etiam sequitur D. Nicolaus Arnoldi in Distinct. Maccov. cap. XI. dist. 8. ita disserens: Dicitur Christo robur tradi, quia cognoscitur ipse traditum, antecedens pro consequente. Sed hanc expositionem, ut absurdam, rejicimus. Sic enim & ipsa Deitas exinanita foret, quod est absurdum. Quid quod in ipso exinanitionis statu secundum Deitatem Christus semper cum Patre operetur Joh. V. 17. Quod si verò exinanitio non facta divinæ naturæ utiq; neq; restituitio neq; manifestatio eidem fieri potuit.

V. Quamvis hæc potestas Christo homini est communicata, tamen non est potestas vicaria

SUFFRAGIUM ORTHODOXÆ
ANTIQUITATIS,

Quod Christo omnis Potestas sit data secundum Humanitatem.

Dicant adversarii veritatis, quomodo omnipotens Pater vel secundum quam naturam filium suum super universa provexerit, vel cui naturæ cuncta subjecerit. Deitas enim verbi par in omnibus (ὁμοῦς ὢν) est patri atq; in temporaliter una eademq; potentia est genitoris & geniti. Huic si addita potestas est, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente qui crevit, nec habebat divitias ejus naturæ, cujus indiguit largitate. Sed tanta sentientem in societatem suam rapit Arius, cui multum hæc suffragatur impietas, *Leo Magnus Epist. 23. p. 113. col. 2. A.*

Divina natura non indiget honoribus sublimari, potestatem cœli & terræ obedientiæ merito accipere, aut dignitatis profectibus augeri. Secundum CARNIS igitur NATURAM exaltatus est, honoratus, coronatus, melioris nominis dignitatem adeptus, & potestatem cœli & terræ, hæreditatem gentium, & subjectionem universorum in tempore accepit, *Vigil. lib. 9. contra Eurych.*

Nulli

Nullius rei indiget ut Deus, & tamen multa accipit ut homo, *Cyrillus Alex. lib. 8. rebef. 1. c. 1. T. 2. col. 99. D.*

Quum igitur ista verba depravant Ariani: Data est mihi potestas, & Glorifica filium, dicuntque Petri; data est illi potestas: hoc intellectu ista omnia interpretemur, *humanitus illum ob corpus suum ista omnia loqui, Athanasius serm. 4. contra Arianos.*

Tradita sunt ei secundum quod deficere fecisti eum paullo minus ab Angelis, *Chrysof. hom. 28. in Matth. oper. Imperf. T. 3. p. 612. C.*

Id quod de tempore est, gloriam ejus claritatis, quae sine tempore est, accepit. *Hilarius lib. 3. de Trinit. T. 1. p. 37. B.*

Quod potestas Christo à Patre data omnis carnis, secundum HOMINEM intelligendum est, *Augustin. tract. 105. in Job. T. 9. col. 506. C.*

Humana natura prius serviebat, nunc in Christo OMNIBUS IMPERAT, *Theophylactus in c. 28. Matth. f. 51. 6.*

Prætereo gratia brevitatis ergo alia. Si quis autem plura hac de re desiderat orthodoxæ antiquitatis testimonia, adeat, si libet, partem primam in enucleatione dicti, Joh. V. 27. Ego stomachum delicatum crambe bis coctâ non onerabo.

M ij

Was

Was ist das vor Gewalt/ so Christo mitge-
theilet?

Iss nicht die Wunder-Nacht/ so dort den
Auffsat heilet?

Iss nicht die Gottes-Krafft/ so fass
des Himmels-Zelt/

Und alles was die Erd in ihrer Rū-
gel helt.

Ex v. 18. & 19.

*Ad Christum veniat peccati mole gravatus,
In Christo requiem menti pia semper habet.*

ORACULUM SACRUM XX.

Mat. IV. 12.

TEXTUS GRÆCUS SACER.

Και οτι εστιν οτι αλλα οτι εδεν η σωτηρια
ουδεν οδ ενομα εστιν εσθην αυτο οτι ηγενην η
δεδουθεν οτι ανθρωποις, εν ω δε σωτηρια ημας
η οτι τα ονοματα ιηου χριστου τα Ναζαρεθ.

Versio Vulgata.

Non est in aliquo alio salus. Nec
enim aliud nomen est sub cælo datum
homi-